Solet plerumque modernis
scriptoribus a prioribus vitio
deputari traditiones an-
tiquorum scriptis vel factis
ab eis mutari. ea videlicet obiectione
quod quasi illorum virtutibus calcatis suis
nichil probabilius velint estimari. Sed
eorum reverendam caniciem ab huius
modi suspicione oportet alienam
conspici. quicquam ab eis reprehendi non
quia crasse compositum inlepideque putetur.
sed quia nuper. vel quia nil rectum nisi
quod placuit sibi ducunt. vel quia turpe
putant parere minoribus et que imberbes
didicere senes perdenda fateri. Non
equidem insector delendaque carmina
levi esse reor. Cum enim legerim
aliquem priorum deum orasse. quo digna-
retur aliquis spiritum suscitare qui virginem
suam wiboradam tot virtutibus decoram
venustiori stilo fateret saporam. quid
dicam posteros optasse cum aliqui eorum
si temporalis vite dilacio illorum votis
responderet. hoc opus voluissent adtem-
ptare: tamen numquam in animum duxi
quid tale aggredi. tum considerans
rusticitatem mei ingenii. tum ne pu-
tarer meo studio michi ad favorem
patrum negliglenciam velle denotare.
Hec denotacio duobus modis evenire
solet. cum vel quilibet arrogans iniussus
presumit suscitare dormientem homerum.
vel cum tuta et raro quis obediens
prevento morte virgilio tamen superflua
studet precidere. Ad illud provocat arro-
gancia. ad istud cogit obediencia. Obe-
diencia ut nostis karissimi nobis est nece-
ssaria. si perfecte libertatis cupimus
adipisci compendia. Hec enim quamvis
omni humane creature ut apostolus
hortatur sit exhibenda propter deum.
specialius tamen ad illos respicit. sub quorum
regimine in cenobiis degentes. districti
cto iudicii racione de nostris excessibus
reddituros procerto scimus. illorumque
excusacionem nostram fore dampnacionem.
Ad quod regimen tu venerabilis pater
udalrice anno millesimo septuagesimo
secundo incarnacionis domini. eius mirica
dispensacione vocatus. cum bone memorie
abbatis tui nortperti tunc triginta et
octo annis super ovile sancti galli vigilantis.
non solum amabili preceptione verum etiam
communi fratrum electione successor effe-
ctus. prout complacuit tue paternitati onus
iniunxisti quod prius exhorrui imponere
mee parvitati. nempe ut vitam memor-
ate virginis interdum propter diversorum
simplicitatem scriptorum superfluitate verborum
quasi quibusdam foliis exuberantem. falce
strictioris eloquii precidere studerem. At
ego quamquam in hac obediencia me scirem
onus importabile debilibus aptare hume-
ris. tamen non exacui linguam verbis
contradistionis. eligens michi sacius
esse sub preceptorum tuorum fasce defitere.
quam eis repugnando titulum inobediencie
marcere. Exemplum etiam cum gramatico
proponere placuit. ne pigeat alios etiam
amice vel ignorancia forte pretermissa.
vel viciose dicta. nichil enim ex omni
parte perfectum in humanis credo esse in-
vencionibus posse. sua quoque industria vel
addere vel mutare. Sed antequam michi
alligatum onus adaptandum movear. ope-
precium esse duco breviter in medium
proferre. per quos preclara gesta huius virg-
inis posteris primitus innotuerunt.
ut cum aperietur me non huius relacionis
esse novum auctorem. sed potius auctorum
sequacem. nullus vicium falsitatis ad-
notet mee pagine. Tempore igitur quo
venerabilis geralo congregacionem sancti
galli rexit. fuit in ea quidam frater
nomine ekkehardus. vir totus ex sapiencia
virtutibusque factus. Is cum quodam tempore
ydrope ad extrema pene ductus esset.
vovit beate wiborade omnia que de eius
sanctitate posset comperire litteris se tra-
diturum. si ei ad presens dignaretur adeo
aliquod impetrare remedium. O archi-
ater invicta et in baculo. o propagator
tuorum sanctitatis electorum. ilico venit ei
in animum ut sibi postularet afferri
martiris cilicium. illudque super aqualenta
extenderet membra. Quod cum factum fuisset.
confestim sensit se aliquid melius habere.
ac deinde non multis diebus exactis ad ple-
num convaluit. Tunc memor sponsionis

Lizenz: CC-BY-NC – St. Gallen, Kantonsbibliothek, Vadianische Sammlung, VadSlg Ms. 70, f. 26r – Casus Sancti Galli; Vitae sanctorum (http://www.e-codices.ch/de/vad/0070/26r)